

xxix.

DISPUTATIO JURIDICA  
De  
JURE SIBIDICUNDO

Quam  
COELESTI FAVORE AUXILIANTE

EX  
DECRETO ET AUTORITATE  
MAGNIFICI ET NOBILISSIMI ICTORUM  
COLLEGII

IN ILLUSTRIS PHILUREA

SUB PRÆSIDIO

VIRI

NOBILISSIMI, CONSULTISSIMI ATQUE  
EXCELLENTISSIMI

DN. MICHAELIS FINGERI,

J. U. D.

Dn. Patroni, Fautoris, Hospitis & Præceptoris  
sui ætatem devenerandi

Publice examini

exhibet

IN COLLEGIO JURIDICO

HORIS MATUTINIS

JOHANNES REISINGIUS,

GRIMMA-MISNICUS,

SERENISS. ELECT. SAXON. ALUMN.

Ad d. 4. Novembr. ANNO M DC LXIX.

---

L I P S I Æ

Typis JOHANNIS GEORGI,



DISPUTATIO JURIDICA

JURISPRUDICENDO

CONSTITUTIONE ALEXANDRI

ET

DECRETIS ET ANTOIATIS

MAGNIFICI NOBILISSIMI IUSTORUM

COMITUM

IN CURIA THEODORICA

ANNO 1712

Y. K. I.

NOBILISSIMI CONSUL TISSIMI ATQUE

EXCELLENTISSIMI

DN. MICHAELIS FINGERI

J. U. D.

IN FAVORI FAMILIARIS HOSPITII & PRAECIPUI

IN CASU DECRETI

PUBLICO EXAMINE

EXACTO

IN COLLEGIO JURIDICO

HOB. MATTHIAS

JOHANNES RILSINGIUS

QUINTI A MENTIONE

SERENISSIMI ELECTORIS PALATINI

AD 5. Novemb. ANNO MDCCLXII

L. P. I. B.

Typo Johannis Gleditsii



Auspice, quò nihil est infelix, auspice  
CHRISTO.

## PRÆLIBAMEN.

**H**Aud singulis esse concedendum, quod per Magistratum, veluti DEI in terris Vicarium, publicè potest fieri, ne occasio sit majoris tumultus faciendi, apertè constat *ex l. non est 176. ff. de R. 7.* Siquidem ille gladium non gerit frustra, sed est minister DEI, ultor ad iram ei, qui, quod malum est, fecerit *Rom. 13, v. 4.* Nam ubi silent jura & judicia, ad rixas & arma itur, inquit *Cuiac. in Julian. lib. 38. ad l. 13. §. 5. de Usufr.* ideò judiciorum vigor & actionum forensium authoritas publicè constituta, & introducta est, ut quisq; per viam juris legitimis actionibus & remediis suum jus ac sibi debitum consequatur, & ne cuiquam jus atque fas sit, rei suæ consequendæ gratiâ per vim atq; injuriam aditum sibi ad vindictam munire, *l. extat 13. ff. quod. met. caus.* quia iniquum est, aliquem suæ rei fieri judicem, ut *Jctus Ulpianus in l. Julianus 17. ff. de Judic.* aut alicui in re propriâ sententiæ licentiam tribuere, ut *Imppp. ajunt, l. unic. C. ne quis in caus. propr. jud.* Simile huic & affine est, quod *Callistratus* ex decreto *D. Marci* refert, ut quis, quod suum est, aut deberi sibi putet, non nisi per Judicem reposcat, *d. l. 13. ff. quod. met. caus. gest. erit.* Quid, quæso, prodesset, salutares *LL.* esse latas, sacras constitutiones sancitas, si defensorem, si executorem nesciant, & sine præmio sit earum servator, transgressor sine supplicio? Leges quippe non habere, & *LL.* non obedire nihil ea mihi distare videntur. Quare generali lege à *Valente Gratiano & Valentiniâno Imperatoribus* decretum, **NE QVIS IN SUA CAÛSSA JUDICET, VEL JUS DICAT.**



CAT. l. unic. C. qn. lic. sine jud. Et hæc quidem regulariter. Verum enim verò cum tanta hodiè sit in omnem licentiam naturæ humanæ propensio ad mala perpetranda, ita ut fermè nulla pars vitæ mortalis in hoc corruptæ naturæ statu lite carere possit; insuperq; haud rarò contingere soleat, ut extrà judicium, licet id irregulare sit, necessitas, quæ legem non habet, moramq; Judicis non admittit, aliquando svadeat ac fermè cogat in casu necessitatis suæ defensionis, antevertere & occurrere, anteqvàm ad Judicem quis eat, præprimis si in periculò constitutus, nec expectatò Judice vulnus ac damnum accipiat privatus, post quod serum sit auxilium Judicis, tunc erit satis in imminente periculo opportunò occurrere tempore, quàm post exitum vindicare: & melius intacta jura nostra servari, quàm post vulneratam causam remedium quærere, l. 1. & 2. C. qvand. lic. sin. jud. se vind. Hinc etiam Lutherus in seinem Büchlein / geschrieben an die Psarrherren / wieder den Wucher zu predigen / ait: Noth bricht Eisen / kan auch wohl ein Recht brechen / Verba ejus referuntur, in Consult. Const. Saxonie. tom. 1. P. 1. qvæst. 6. n. fin. Et cum hoc natura omnibus & singulis hominibus etiam brutis animantibus, l. 1. §. 11. cum arietes ff. si qvadr. pauper. fec. dic. primò quasi lacte indiderit, ut lædi se ægrè patiantur, quin potiùs periculò obstanti & imminente subito occurrant. Nam ut Cic. lib. 1. offic. ait: Principiò generi animantium est omni à naturâ tributum, ut se, vitam corpusq; tueatur, declinetq; ea, quæ nocitura videntur. Quæ cuncta ac universa cum omni jure ita sese habeant, animum itaq; induxi pro virili delineare, quando scilicet Judex adeundus, & quando, ac quomodo unicuiq; se, & quod ad personam pertinere videtur, deinde etiam sua bona & jura, quæ bonis annumerantur, Gædd. l. subsignatum 39. §. 1. n. 3. ff. de V. S. propriò jure, Judice non requisitò vindicare liceat. Quare Tuam, quisquis es, Lector magne, benevolentiam atq; favorem desidero, ut si non omnia ad stomachum ritè sint composita, ni favoris palliò tegere, saltem displicentiam tuam ad minimum dissimulare velis. Quid jam restat, sine longiori verborum afnactu, moderante supremo legum latore, qui & res penitus desperatas donare & consummare virtutis suæ magnitudine potest. l. 1. §. 2. C. de vet. jur. enucl. facio.

THE.

## THESIS I.

**C**asus, in quibus cuilibet jus dicere licitum est, dantur complures, quorum quidam principaliter ac primario. Nos & bona nostra concernunt, ut sunt v. g. vel vita & corpus, vel honor & fama, ubi scilicet alicujus castæ Virginis ac honestæ matronæ pudicitia attentatur, cui etiam realis injuria inferri dicitur, *l. 1. §. 2. ff. de injur.* Nam & eam vim quibuslibet armis arceri posse statuo, quæ contra pudicitiam directa est, per ea quæ habet *Tr. Vol. 1. Disp. 1. th. 4. lit. C. & allegati ibidem*; quidam verò minus principaliter & saltem per consequentiam.

*Materia ob-  
jectiva.*

## THESIS II.

Ex priori autem genere primum & quidem periculosissimus, qui principaliter NOS, quoad defensionem corporis & vitæ, concernit, casus datur in aggressore violento, quem, si aliter nos tueri nequeamus, omni jure interficere justum est, & dicitur hæc in specie necessaria defensio, German. *Nothw. rechte Gegenwehr/gedringter Todtschlag.* Vim enim vi repellere omnes leges & omnia jura permittunt, *l. 3. ff. de I. & I. l. scientiam 45. §. qui cum 4. ff. ad L. Aquil.* quia hoc à natura cuique tributum est, ut se vitam & corpus suum tueatur *Cic. lib. 1. Offic.* Imò cum cognationem, quandam naturam inter nos constituerit: eadem naturam dicente, hominem homini insidiari nefas est, ut *d. l. 3. Florentinus ait.* Et in Constitutionibus Carolinis publicor. judicior. dicitur: *Welcher ein ne rechte Nothwehre/zu Rettung seines Leibes und Lebens/thut/und deit jenigen/der ihn also benöthiget/in solcher Nothwehre entleibet/der ist darumb niemand nichts schuldig/ artic. 140. concord. l. 2. 3. & 4. C. ad L. Cornel. de Siccar.*

## THESIS III.

Causa verò *αὐτοματικὴ* hujus defensionis ac juris sibi dicendi, est dubium vitæ discrimen, in quò defensor est constitutus. Dubiam autem vitæ discrimen quodnam sit, variè DD. disputant. Nos explicationi Carolinæ in artic. 140. inhæremus, *conf. Wesenb. in Comm. C. qn. lic. unic. n. 5. ibi*: Imminens periculum mortis vel injuriæ personalis, quod ita incumbat, ut evitari aliter nequeat, *C. un. in lin. Clem. de homicid. c. 2. extr. eod. Confer Molinam tom. 4. tr. 3. Disp. XI.*

*Causa im-  
pulsiva.*

**FINIS.** *¶* Hæc autem fit cum propter vim ac injuriam, quam aggressor, vel ipso actu infert, *d. l. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil.* vel certe illaturus est statim *l. 5. pr. ff. d. t.* (hinc colligere licet, neminem primum ictum tenerè expectare) tum propter insidias, ita ut ex illis periculum appareat, *l. 4. ff. ad L. Aquil.* tum propter obsessionem viæ, cum quis ex proceresi & spontaneo motu locum Civitatis obsideat, ut scilicet adversarium suum prætereuntem eò melius offendere possit; qui cum versetur in actu haud licito, cum propria vindicta & ultio omni Juri tam exosa, quam in totum prohibita sit, *Deut. 32, v. 35. it. Ecclesiastici 28, v. 5. Rom. 12, v. 19. Ex Jure Civ. l. nullus 14. C. de Juda. & Calic. & l. ult. C. de vi privat.* non est dubitandum, quin ab invaso obsessor ultrò possit occidi, quia videtur moderamen inculpatæ tutelæ optimò jure hinc prætendi posse. Hòc itaq; modò cuiq; liberum ac licitum erit, se defendere & aggressorem ac insidiatorem quemvis interficere, *l. 3. ff. de I. & I.* adeò ut puniri non debeat, neque committat peccatum, qui talem occidit; quia insultatus semper ad suam defensionem fecisse præsumitur.

*Effectus.*

#### THESIS IV.

Cum igitur ex *d. l. 3. ff. de I. & I.* Sit in prorsivi, quod quisq; vim imminentem, vel jam illatam rectè repulsare queat, quia vocabulò Quisq;, omnes significantur, *l. hoc articulo 29. ff. de hered. instit.* & quia ea quæ sunt Juris G. (qualis etiam defensio) omnibus hominibus & Gentibus competunt, *l. 1. §. ult. ff. de I. & I.* Meritò inde quæritur de bannitis, ut vocant, seu de exulibus an hi etiam se defendere queant contra invasores? Resp. Cum defensio sit Juris G. (Nam in *d. l. 1. in f. ff. de I. & I.* definitur Jus G. & postea in quatuor sequentibus legibus hujus juris exempla enumerantur) meritò etiam hi contra vim se rectè defendunt. *not. Bald. & Alex. in d. l. 1. & Bart. in l. ex facto 17. §. ex facto ff. ad Sct. Trebell.* quia exilium hoc naturæ beneficium illis non videtur ademisse. Quod in tantum procedit, ut, quamvis fortè in Civitate aliquâ sit statutum, ut ejusmodi bannitus s. exsul impunè offendi posset, non tamen idcirco exuli quoque defensionem adimat, sicuti sentit *Bald. in l. 3. n. 8. & 9. ff. de I. & I.* quia hæc defensio ex ipsius naturæ sensibus descendit, quam qui tollit, sensus ipsos tollat necesse est.

THE.



### THESIS V.

Jus, quod sibi quis potest dicere in ejusmodi casibus, originem suam trahit non solum ex Jure naturæ c. 7. dist. 1. l. 1. §. 11. si quadr. paup. Jure Gentium, l. 3. ff. de I. & I. Siquidem statim ex altero juris præcepto constat, neminem esse lædendum, §. 3. Inst. de I. & I. Sed & Jure Divino Exod. 21, v. 13. Deut. 19, v. 9. Lev. 19, v. 18. & Civili, per d. l. 45. §. penult. ff. ad L. Aquil. Etiam cum interfectione aggressoris. l. 4. in pr. l. 5. in pr. ff. eod. Si scilicet mortis periculum aliter evitari nequeat §. 2. Inst. eod. d. l. 45. §. 4. ff. eod. Gail. lib. 2. Obs. 110. n. 13. & lib. 1. de pac. publ. c. 16. n. 6. & 7. Gomez. var. resolut. tom. 3. c. 3. n. 20. Et deniq; Speciali Saxonico lib. 3. Landr. artic. 78. ibi: Wundet ein Mann seinen Herrn / oder schlägt ihn zu tode in Nothwehre seines Leibes / oder der Herr den Mann / er thut daran wieder seine Treue nicht / ob die Nothwehre mit Recht beweiset wird.

Causa Efficiens.

### THESIS VI.

Queniammodum igitur, uti jam dictum, vim vi repellere omni jure licet; (si modo moderamen inculpatæ tutelæ in jure sibi dicundo servetur, de quo in sequenti thesi, l. 1. C. unde vi) ita contra vim vi repellendo limites juris sibi dicundi excedere, illicitum atq; prohibitum est. Quare in jure sibi dicundo semper observandum ac notandum venit moderamen inculpatæ tutelæ, German. Nothw. fit enim ex necessitate & quasi coactè Harpr. in tr. Criminal. ad §. item L. Cornel. 5. n. 145. de publ. Jud. Peinl. Halsger. Ordnung. artic. 139. Welcher eine rechte Nothwehre zu Rettung seines Lebens ic. Quod autem in tribus præsertim consistere interpretes tradunt; Modo scilicet, Tempore & causa, Gail. l. 1. de pac. publ. c. 16. n. 17. Carpov. P. 1. quest. Crim. 18. n. 20.

Forma.

### THESIS VII.

Quod Modum attinet, circa hunc variè disputatur inter DD. an paritas s. æqualitas armorum, ut scilicet defensio sit proportionata, ita ut eodem modo, quo vis inferatur, illa quoq; rursus repellatur, sit necessaria? Resp. cum nullibi legatur æquò Marte & paribus viribus repellendam esse vim; quin potius quovis modo & quocunq; armorum genere licere vim illatam propulsare, si invasus aliter se defendere non possit, d. l. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil. Communis negativa sententia videtur esse verior, semper liberè quomodo-  
docunq;



docunq; se defendere potest. Non enim arma necessariò æqualia esse debent in specie, modò æqualia sint in genere, Gomez. Tom. 3. c. 3. n. 22. Nec porrò requiritur, ut primum ictum quis sustineat, ut si cum armis quis veniat è longinqvò, te petiturus; tum enim maximè verum est, neminem primum ictum expectare teneri, sed aggressio sola, animum offendendi præ se ferens, sufficit, l. 3. §. 5. ff. de vi & vi armat. Peinl. H. D. Car. 5. art. 140. ibi. ist auch mit seiner Gegenwehr/biß er geschlagen wird/zu warten nicht schuldig. Harpr. Tract. Crim. de publ. Jud. ad d. §. 5. n. 114. Gomez. variar. resolut. tom. 3. c. 3. n. 22. Ratio est, quia melius est in tempore occurrere, quàm post vulneratam causam remedium quærere, l. 1. C. quand. lic. Nec fugam deniq; arripere tenetur in dubiò famæ & vitæ discrimine constitutus, l. 2. & 3. C. ad L. Corn. de Siccar. Nam fugâ se defendere, & se ad quamlicet vim in pedes conijcere, suamq; salutem instar leporis, pedibus committere, non solum ignominiosum, sed etiam periculosum est; at quæ sunt ignominiosa, & quæ existimationem & verecundiam nostram lædunt, à nobis fieri non posse credendum est, l. filius 15. ff. de condit. instit. Et probatur hoc quoque ex Carol. V. P. H. D. art. 140. & 142. ibi: und der benöthigste kan süglich ohne Fährlichkeit/oder Verletzung seines Leibens und Lebens/Ehr und guten Leumuths nicht entweichen/der mag zc.

#### THESIS IIX.

Circà secundum requisitum moderaminis inculpatæ tutelæ etiam notandum, quod debeat consistere in Tempore i. e. fiat ex continenti, pendente & imminente adhuc periculo, Gl. l. 1. C. unde vi, verb. moderatione, quod etiam patet ex P. H. D. d. art. 139. und dem jenigen/der ihn also benöthiget/it. art. 140. und der Benöthigter kan süglich ohne Fährlichkeit zc. nicht entweichen. Vide hæc de re Carr. 209. d. quæst. 28. n. 28. 29. Hæc autem defensio fieri dicitur in continenti, quando confestim auff frischer That / nullò actu extraneò interveniente resistimus, d. l. 3. §. 9. & l. qui possessionem 17. ff. de vi & vi arm. l. 1. C. qn. unic. sm. jud. vind. Förster. Disp. ult. P. 1. th. 10. Gail. l. 1. de pace publ. c. 16. n. 17. Ratio, quia aliàs vis, quæ ex intervallo infertur, non ad defensionem, sed ad ultionem spectat, quæ omni jure prohibita est, arg. l. d. 45. §. qui eum aliter 4. ad L. Aquil. c. significasti 18. extr. de homicid. Ita etiam in lege Atheniensium apud Demosthe.

Demosthenein contra Arifton. Si quis prædonem confestim ulcif-  
catur & occiderit, sine fraude esto, *vel ut Petrus refert lib. 7. tit. 1. p. 516.*  
Si quis alium injustè vim inferentem in continenti necasset, jure cæ-  
sus esto. Quomodo & Draco cavet, ut statim ac illata fuerit vis  
& injuria vindicetur: tempus autem negavit struendis insidiis, qui-  
bus opprimeret eum, qui injuriam intulerat, *Petrus d. loc. de LL. At-*  
*ticis.* Quod etiam innuit *Jctus in l. 3. de I & I. (verbo propulsandi.*

#### THESIS IX.

Seqvitur tandem tertium ac ultimum requisitum moderami-  
nis tutelæ inculpatæ, quod est CAUSSA, quemadmodum enim in  
delictis communiter principium potius, quàm finis & exitus specta-  
tur; ita eadem consideratio ad distingvendum inter homicidium  
necessarium & minus necessarium adhibenda est, *l. quoniam 6. C.*  
*ad leg. Jul. de vi públ. l. si ex plagis §. 1. ff. ad L. Aquil.* Causa igitur  
consistat necessum est in violentæ offensionis propulsatione non ul-  
ciscendi, sed defendendi modo, *d. l. 1. C. unde vi, d. l. 45. §. 4. d. c. 18.*  
*extr. de homicid. Gail. d. c. 26. n. 17.*

#### THESIS X.

Hæc ergò adducta ac præscripta requisita maximè à quolibet  
erunt observanda, si moderamen tutelæ inculpatæ quis velit præ-  
tendere, aliàs si id excesserit, tunc pro ratione culpæ & qualitate  
commissi excessus, non autem ordinariâ L. Cornel. de Siccar. pœ-  
nâ, sed arbitrariâ Judicis extrâ ordinem punitur, *l. si adulterium 38.*  
*§. Imperator 8. ff. ad L. Jul. de adult. l. 1. §. fin. ff. ad L. Corn. de Siccar. l.*  
*D. Adrianus 5. ff. ad l. Pomp. de parricid. P. H. D. Carol. 7. art. 143. vers.*  
*Rehulich ist zu mercken/ Gail. d. Obser. 110. n. 15. & d. c. 16. n. 19. Go-*  
*mez. d. c. 3. n. 24. De Jure Saxon. punitur vel cæsiōe virgarum vel*  
*amputatione manûs, & tunc non teneatur ad Werigeldum, vel pu-*  
*nitur solâ relegatione, & tunc condemnatur etiam in Werigeldum*  
*interempti propinqvis solvendum, daß alsdann das Wehrgeld auch*  
*den Freunden mit zugesprochen werden müge. Constit. Elect. Saxon. 11.*  
*P. 4. ibiq. Dan. Möller. n. 5.*

#### THESIS XI.

Quare justam suam defensionem tutelæ inculpatæ probet,  
Reus necessum est, cujus sunt duo capita, *Gail. d. Obs. 110. n. 14. Obv.*  
*de necess. defens. cap. 14. n. 45.* Unum offensio violenta, sine quâ de-

B

fensio

fensio esse non potest; cessante enim vi, cessat necessitas, cessante  
 necessitate, cessat etiam hoc jus necessariae defensionis, *vid. Farin.*  
*qv. 125. Part. 6. n. 338.* Hinc concluditur si is, qui alterum inter-  
 ficat, ab initio fuerit autor rixae, licet postea in eadem rixâ in discrimi-  
 mine vitae constituatur, beneficio tamen necessariae defensionis uti  
 non potest, *vid. Obv. de necess. defenf. c. 11. n. 26.* & textus quoque est  
 expressus in Carol. V. *Peinl. Hals. Ordni. art. 142. ibi: Oder meldet/  
 daß der Entleibte nach gethaner ersten Benöthigung gewichen / den der  
 Todtschläger aus freyen Willen / und ungenöthigter Dinge nachgefolget /  
 und ihn allererst in der Nachfolge erschlagen hätte.* Alterum est ne-  
 cessaria defensio; probatio enim insultu, vel aggressionem aut inva-  
 sione, satis probata intelligitur defensio, *Jason. in l. ut vim, 3. num. 3.  
 de J. & J.*

#### THESIS XII.

Quod si denique quis necessariam defensionem tantum alleget,  
 sed plane nihil probet, quod hodie plerumque fit à multis, veritatis  
 eruendae gratia torturae subjiciendus. *Aug. Elect. Saxon Constit. 8.  
 part. 4. & ibi. Daniel. Moller. n. 3. & seqq.* Ratio est, quia ubicumque  
 indubitata sunt indicia & lege approbata, tunc tortura locum ha-  
 bet, *Bl. in l. sciant cuncti l. ult. C. de probat. n. 6.* In quam sententiam  
 etiam inclinarunt Scabini Lipsienses & alii, pronunciantes, quod  
 reus ob defensionem allegatam non autem probatam recte torturae  
 subjici possit. *Consult. Constit. Saxon. Tom. 1. part. 4. quæst. 20. intip.  
 Wann einer sich. num. 5. vers. aber allhier erhebet sich der Streit / n. 6.  
 & seqq. & Tom. 2. part. 4. quæst. 51. num. 1. vers.* Demnach aber so  
 seynd unsere Verordnete dessen einig / daß zu Erkundigung der Wahr-  
 heit dßfalls dem / der sich zur That bekennet / und doch der Defension  
 halber nichts beweisen kan / die scharffe Frage zuerkennen seyn soll.

#### THESIS XIII.

Quæ hætenus de jure sibi dicundo in defensione vitae quoad  
 propriam personam dicta, haud immerito quaeritur, an etiam ex-  
 tendenda sint ad alios, sc. consanguineos, propinquos, & amicos  
 quosvis extraneos? Resp. non solum quis seipsum, sed & alios si-  
 ve sanguine sive affinitate conjunctos jure defendit, cum enim hæc  
 eadem militet ratio, idem quoque jus statui debet; quod ipsum pro-  
 batur Jure Divino *pro v. 24, v. 11. 12. Matth. 22, v. 39. Luc. 11, v. 70. seqq.*  
 Dili-

Diliges proximum Tuum sicut Te ipsum; cui consequens est; si nobis  
defensionem debemus, quod eam & proximo debeamus, quem non  
secus ac nosmetipsos diligere cogimur. Unde & D. Ambrosius:  
qui non repellit a socio injuriam, inquit, sic potest; tam est invi-  
tio, quam ille qui facit. Et Salomon *Prov. 24, v. 11.* Erue, ait, eos,  
qui ducuntur ad mortem; & qui trahuntur ad interitum, liberare  
ne cesses. It. Solon illam demum Rempubl. beatam asseruit, in-  
quam quisque alterius injuriam suam existimaret: quia hac ratione  
salus & incolumitas Reip. conservatur: quæ neglecta proximi in-  
juria labefactari solet. Nec ullam quoque poenam homicidii pro  
illarum personarum tuitione inculpate commissi sufferre cogitur,  
*l. isti quidem 8. §. fin. ff. quod met. caus. can. 5. caus. 23. quest. 3. Constit.*  
*Crim. Carol. V. artic. 150. §. item.* So einer zu Rettung eines andern  
Leib/Leben oder Gut jemand erschlägt/ *Damboud. in pr. Crim. c. 50. n. 1.*  
*& seqq. Gomez. d. cap. 3. n. 21.* Verum enim vero hæc dicta tantum  
procedunt, si citra periculum vitæ propriæ quis hoc facere possit,  
cum illi sese alterius causâ exponere regulariter nemo teneatur,  
ut videatur referre, an quis periclitanti sine propriæ vitæ jacturâ  
defensionem præstare possit, vel non: Si potest, æquum est, & juri  
consentaneum, ut periclitantem proximum adjuvet. Siquidem  
id tantum alteri quis præstare tenetur, quod sibi non nocet & alteri  
prodest, *l. 2. §. 5. vers. quoniam in. ff. de acqu. arcend. l. si pater 34. §. 1.*  
*ff. de donat. l. metum 9. §. 1. ff. quod met. causa.* Quod & illud spectat  
quod ex *Matth. 25. cap. vers. 9.* adducitur, ubi Virgines prudentes  
fatuis respondent: **NE NOBIS ET VOBIS DEFICIAT.**  
Deinde & hominis interest hominem beneficiò afficere, *l. 2. §. 12. vers.*  
*juris sui ff. de interd. Unde Lactant. Firmianus lib. Inst. 6. cap. 11.* Qui  
succurrere, ait, perituro potest, si non succurrerit, occidit. Si autem  
periclitantem sine propriæ vitæ jacturâ tueri non potest, tunc non  
tenetur ad opem ei ferendam *c. Ex parte 47. extr. de appellat.* cum  
nemo regulariter se præsentî periculo obicere cogatur *l. si pater*  
*34. §. 1. ff. de donat. l. metum 9. §. 1. vers. sed licet ff. quod met. caus.*  
Deinceps etiam quia id tantum alteri quis præstare cogitur quod  
sibi non nocet. *l. 2. in pr. ff. solut. matri.* Et hoc est quod Seneca  
dixit: Dabo egenti, sed ut ipse non egeam; succurram perituro, sed  
ut ipse non peream.

THESIS XIV.

Cum ergo dictum fuit contra quos vim vi repellere nobis liceat; nimirum cuilibet contra quemcunque, ubi enim est vis atque injuria, ibi propulsationi locus est ex dictis LL. Queritur tandem, ultimo loco de jure sibi dicundo in defensione vitæ, an etiam contra illos, qui vim atque injuriam inferre haud videntur, v. gr. sunt furiosi, mente capti, & dormientes noctambuli, qui nos invadunt, defendere liceat? Posset responderi negando, scilicet hos non facere vim & injuriam; quia animo & proposito injuriandi destituntur: qualis fuit quidam Perusinus: qui se noctu dormiens armavit, & per civitatem cantando ivit, teste Bartol. d. l. 3. n. 5. ff. de J. & J. Ergo contra hos illicita est defensio. Sed respondeo quod in defensione non requiratur vim faciendi & injuriandi propositum, sed sufficit ut vis inferatur: sive id ex proposito fiat, sive non. Quamvis igitur furiosi, mente capti & dormientes noctambuli affectu & proposito vim faciendi seu injuriandi sint destituti, l. 3. §. 1. ff. de injur. & §. furiosus 8. Instit. de inutil. stipul. tamen cum ipsi faciunt nos adorianur, non opus est, ut animum intueamur, sed factum sufficit: quia hoc factum vim continet; quam omni jure quisque contra quosvis repellere atque propulsare potest, sive à furiosis vel mente captis & dormientibus noctambulis inferatur l. 4. & d. l. 45. §. qui cum aliter 4. ff. ad L. Aquil. Nam in casu defensionis Lex Defensori arma porrigit, quibus per se vim propugnare potest. Ex hisce jam adductis innotescit, etiam contra ebrium & emulentum, qui te per vim invadit, defensionem esse licitam, adeo ut vim vi repellere, & servatò inculpatæ tutelæ moderamine, illum interficere possis; & quamvis in ejusmodi nulla sit injuria; est tamen vis, quam vi repellere jure naturæ licet; ex d. l. 3. ff. de J. & J.

THESIS XV.

Quum fama atque vita paribus ambulent passibus, d. l. 8. §. 2. ff. de eo quod met. caus. & l. justa causa 9. ff. de manum. vindict. Rectè DE FAMA vitæ & sanguini nostro succedit FAMA & EXISTIMATIO nostræ, ET EXISTI- quæ ob id alter sanguis esse dicitur; nec immeritò, non minor enim MATIONE, est infamiae timor, quam mortis, ideòque crudelis est, qui famam, rem inestimabilem negligit, cui quilibet inservire debet, d. l. 8. ff. quod met. caus. Hinc etiam in S. Codice Prov. 21. cap. Curam habet de

de bono nomine, quod melius est, quam divitiarum multarum & Elect. Aug. Sax. in Const. 42. part. 4. in pr. Es haben ehrliche Leute allenwege das Leben und die Ehre gleich geachtet/und die Verlesung oder Verleumdung an Ehren höher und beschwerlicher gehalten/denn Leibes Beschädigung. Bona enim fama est omnium rerum præstantissima, & thesaurus inæstimabilis, & dat suavitatem odoris, ut lilium, sicuti loquitur Baldus in l. unic. n. 22. C. de Confess. Honestam siquidem vitam amittere longè gravius, quam simpliciter vitam amittere. Undè masculè Lucretia apud Livium Marito quærenti satin' omnes res salvæ essent, respondit; minime, inquit: Quid enim salvi mulieris esse potest amissa pudicitia?

#### THESIS XVI.

Quod autem hujus defensionis ac iuris sibi dicendi hoc in casu, ubi scilicet alicuius honestæ Virginis aut Matronæ castitas ac honor vi attentatur, modum attinet, DD. distinguunt; scilicet aut eiusmodi offensione fama salva esse non potest, aut potest. Priori modo omninò licita est defensio etiam cum internecione honorem violantis, modo id fiat in continenti, dum adhuc læsio honoris quasi pendet, v. gr. si quis puellæ aut castæ matronæ stuprum vellet inferre, tunc meritò infamiam illatam occasione spoliantis citrà omnem pœnæ metum vindicare licebit, (alias illa consentire & peccati rea esse præsumitur, nisi omnia remedia ad castitatem servandam adhibuerit) l. 1. §. 4. ff. ad L. Corn. de Siccar. P. Halsg. D. Carol. V. art. 142. post princip. vers. als geschehen möchte / so einer einen ic. Ratio quia stuprum & mors ad paria iudicantur, & bonis stupri metus maior quam mortis esse debet d. l. §. 2. ff. quod met. caus. Dby. de necess. Defens. c. 2. n. 1. Damhoud. in pract. Crimin. t. 80. n. 21. Deinceps etiam cum hæc res sit omni æstimatione maior ac talis, quæ non patitur moram; habet enim hoc donum, virginitatis sicut sericum, quod cum semel in lutum cadat, nunquam perfectè abluatur, quin semper macula appareat. Idem dicit lex, quod virginitas semel amissa restitui non possit, l. 1. in princ. C. de rapt. virg. Cum sit ex eorum numero, sine quibus, ut Seneca docet, l. 1. de benef. c. 11. possumus quidem vivere, sed ut mors potior sit. Hinc præclare Ovidius in Epist. Oenonis ad Paridem:

B 3

nulla

— — nulla reparabilis arte.

Læsa pudicitia est, deperit illa semel. Quod si autem virgo vi stuprata hunc violentum stupratorem in continenti interimere haut potuit, hic non tantum Jure Civili capitaliter punitur §. 4. *Inst. de publ. Jud. l. 1. §. 2. ff. de Extraord. Crim.* Sed etiam Divino *Deut. 22. vers. 25. seqq.* & Saxonico ultimo mortis afficitur supplicio *Sandr. lib. 2. art. 13. §. die einen Mann vers. oder Weib oder Mägde nothzogen. Const. Elect. Aug. 30. part. 4. Dn. Philipp. in usu pract. Lib. 4. Ecclog. 84. n. 20. it. Dn. Richter Cent. Reg. Jur. 2. n. 10. Confer. Dn. Carpz. Prax. Crim. P. 2. quest. 68. n. 41.* Et hæc tali modo corrupta nullam infamiae meretur maculam, sed inviolatae existimationis retinet privilegia, *l. si uxor 13. §. si quis plane 7. l. vim passam 39. pr. ad L. Jul. de adulter. l. fedissimam 20. C. eod. usq;* adeo ut coronam seu fertum virginitatis in capite portare liceat, eaq; caput peplò obvelare haud teneatur; quia castam mentem retinuit, uti cum *Francis. Pfeil. sentit Berl. P. 5. conclus. 41. n. 67.* Sed laudabilior erit virgo vi stuprata in humilitate ac verecundia sua, si se incontaminatis non audeat comparare virginibus, *illa autem 14. 32. qv. 5. fertumq; portare, uti in Scabinnatu Lipsiensi responsum refert Carpz. in pract. crim. p. 2. quest. 76. n. 80. & seqq. & in Jurispr. Consistor. lib. 2. Def. 237. n. 10. & seqq.* Est enim virginitas & animi, & corporis: illa proprie dicitur pudicitia, quam & virgines, & uxores & viduae honestae tenent, eamq; per violentum stuprum non amittunt, *c. de pudicitia 6. 32. qv. 5.* Hæc autem est integritas pudoris & corporis incorrupti, quæ per violentam compressionem amitti potest, *d. c. 14. Gloss. Germ. ad Sandr. lib. 3. art. 1. n. 2.* De posteriori autem casu ubi ejusmodi offensione fama salva esse potest, notandum venit, quod haud ob qualemcunq; pudicitiae invasionem illico occidere liceat, *vid. Balduin. de cas. cons. c. 1. cas. 25. c. 1. cas. 15. p. m. 893.* Sed præcedente vi & ad prostrationem corporis directam dixerim, impune fore mulieri, quæ violentam ejusmodi invasionem de morte ulta fuerit, *pertext. d. l. 1. §. 4. ibi. qui stuprum sibi vel suis per vim inferentem occidit, dimittendum C. ad L. Corn. de Siccar. l. justa 9. pr. ibi. vitæ infamiae vè periculo ff. de manum. vindict. l. 8. §. 2. Damh. in prax. Crim. c. 80. n. 21.*

THESIS XVII.

Quæ ergò jam dicta sunt de Jure sibi dicundo in lædendam ac violan-





violandâ pudicitia, quoad læsionem sc. famæ ac honoris, non re-  
 ferenda quoq; sunt ad illum, qui injuriis læssitus, ut eodem quoq;  
 jure utatur, uti multi autumant, quia fama & vita paribus ambulant  
 passibus & æquivalentur. *d. l. 9. pr. ff. manum. vindict. oblaterantes.*  
 Quod oppidò falsum ac erroneum est; Levior enim famæ, quam  
 vitæ jactura est. Deindè *in d. allegatâ lege 8.* (quam plurimi pro ju-  
 stâ defensione in injuriâ verbali falsò admodum allegant, sinistreq;  
 interpretantur) agitur de eò casu, quò honor ejusdem est cum vitâ  
 dignitatis (ut est honor pudicitie ac castitatis, cum sc. ille violetur)  
 & deciditur, quod injuria in corpus per stuprum illata vitæ æqui-  
 paretur. Siquidem latissima est hæc in re differentia inter famam  
 & vitam. Hæc quippe semel ablata nunquam reparatur, illa vero  
 per remedia, putâ judicia Civilia, quod fit, quando injuriâ ad-  
 fectus eam æstimet, ac certam pecuniæ quantitatem pœnæ loco reo  
 imponit, sibiq;, salvâ tamen moderatione Judicis adjudicari petit,  
 §. *in summa 10. Inst. de Injur. ac Criminalia* quando actor reum arbi-  
 trario Judicis vel in corpore puniri vel in pœnam pecuniariam fisco  
 applicandam condemnari petit, *d. 8. in summa* & hodiè insuper per  
 actionem ad recantationem, quæ agitur ad recantationem vel re-  
 vocationem ejus, quod iniuriosè factum est, wann der Geschmâcht  
 auff einen Wiederruff klaget *Vult. ad §. 7. Inst. de Injur. n. 6.* quæ o-  
 mnia prodita sunt in eum finem, quò famæ nostræ rectè consulatur,  
 recuperari potest.

#### THESIS XVIII.

Si igitur quispiam iniuriatus spretâ Judiciali viâ extrajudicia-  
 liter se defendere velit, ipsi legitimum retorsionis remedium ad-  
 versus verbalem injuriam inferentem Jure permissum est, *d. l. 14.*  
*§. 6. ff. de bon. liberi. vid. Carpz. P. 2. qu. 97. n. 24.* Nihil enim tam  
 conveniens est æquitati naturali, quam quod quis in alterius per-  
 sonâ æquum esse credidisset, ut id ipsum in suâ quoq; personâ æquum  
 esse patiatur, *l. 1. pr. ff. quod quisq; Jur. C. cum omnes 6. extr. de Const. ubi*  
*etiâ Sapiens (sc. Catonis in dist. moral.) autoritas citatur his verbis: PATE-*  
*RE LEGEM QUAM TU ISPE TULERIS.* Ac ut in *Andria Act. 5. scen. 4.*  
*inquit Comicus: Simihi pergit, quæ vult dicere; ea, quæ non vult, audiet,*  
*& in Prologom. Phormion. Benedictis si certasset, audisset benè.*  
 Undè & illud quoq; Germanicum proverbium: *gut Gruß giebt gute*  
 Antwort/Cum Talia



Talia dicantur tibi, qualia dixeris ipse,

Hæc n. ut inquit Bartol. est naturalis & moderata defensio, ut verba verbis tollantur, l. ut vim vi 3. ff. de J. & J. & eò modò dissolvantur, quò colligata fuerant, l. 35. ff. de R. J. Nam sicuti ob tutelam corporis vim vi repellere licet, ita rectè facere videtur, qui ob tutelam famæ, verbalem illatam injuriam verbis retorquet l. 25. vers. nisi sorte purgare & vers. seqv. ff. de procurat. l. 14. §. 6. ff. de bon. libert. l. 3. ff. de J. & J. & quemadmodum ibi L. Cornel. de Siccar. locum non habet, ita nec hîc injuriarum actio locum invenit, Jason. in d. l. 3. n. 36. Guil. lib. 2. Observ. 100. n. 1. & seqq. Nicol. Boer. Decis. 169. n. 1. & seqq. Ratio, quia hoc non injuriandi, sed sui purgandi causâ facit: ut meritò ei sit ignoscendum, qui provocatus injuriam retorsit, l. qui cum major 14. §. si libertus 6. ff. de bon. libert. Est enim ferendus pudorem suum purgans, d. l. 25.

THESIS XIX.

Quemadmodum, ut supra dixi, ad moderamen tutelæ inculpatæ tria summa requisita esse necessaria; ita quoq; ad retorsionem injuriarum hæc tria necessariò iterum requiri existimo putandum, CAUSSA scilicet, MODUS & TEMPUS. De quò videri potest Struv. in Tr. de vind. priv.

THESIS XX.

Circa CAUSSAM, quæ consistit in animò injuriandi, qui ex dictò injurioso, & quidem indoli capacibus præsumitur, Dn. Carpzov. prax. Crim. part. 2. qu. 97. n. 2. seqq. probè erit attendendum, ne pro injurioso arripiatur, quod reverà tale non est; quia non omne, quod injuria fit, ad præsentem quæstionem pertinet, sed illa tantum injuria, quæ animo injuriandi committitur, l. 3. §. 1. ff. h. t. l. qui servum 34. pr. ff. de O. & A. Frevenlicher/ vorsekslicher/ und muthwilliger weise / ut Aug. Elector. Saxon. loquitur Constit. 42. part. 4. §. Nach dem wir re. Eò enim casu cum dolus & pravus animus absit, nullum crimen contrahi potest. Animus quippe & intentio in actionibus humanis attenditur ad delicti peccatiq; cognitionem secundum illud

Quicquid agunt homines, intentio judicat omnes.

Et propterea ubi non adest violenta, vel injuriosa offensio, non quoq; locum habere potest defensio, seu retorsio; vel ut nostri Interpretes

terpretes loquuntur, ubi offensio est licita, ibi defensio est illicita. Hinc tres præcipui dantur casus, quibus retorsio cessat (1) casus inopinatus ac invidus, *l. 4. ff. h. t. l. 5. §. 3. ff. ad L. Aquil.* (2) faciendi necessitas sc. ex Parentum seu Magistratus officio *l. 13. injuriarum §. 1. 2. 3. & l. quod reipubl. 33. ff. h. t.* quia hoc modo Parentes liberis nullam vim nullamque injuriam faciunt, sed suo jure utuntur *l. 3. C. de patr. potest. nec Magistratus vim atque injuriam infert, quando munere suo fungitur l. 3. §. 1. quod met. caus. l. quemadmodum 29. §. magistratus 7. vers. si quid ff. ad L. Aquil. l. injuriar. 13. §. 1. & l. quod reipubl. 32. ff. de injur. vel informandi discipulum aut propinquum l. 15. §. 23. ff. h. t. l. ea quæ 13. C. de emendat. propinq.* (3) Voluntaria causa probabilis, veluti joci aut certandi *d. l. 3. §. 3. h. t.*

#### THESIS XXI.

Quod Modum attinet diligenter cautio quoque adhibenda est, ut retorsio respondeat injuriæ illatæ, nec eam excedat; igitur in suis terminis hæc consistat, & ulterius non progrediatur *Jacob. Schultz. in addit. ad Modest. Pistor. quæst. 127. n. 46. part. 3. Harpr. in §. 32. Inst. de injur. n. 209.* Si autem modum excedat, ita ut injuriis provocatus alii nova objiciat crimina, atque ita novis convitiis alterum proscindat, retorsio & compensatio injuriarum non valet, sed uterque de injura sibi illatâ agere debet *Schneiderov. in §. injuria 1. Inst. de injur. n. 12. Dan. Moller. in Comm. ad Const. Saxon. P. 4. Const. 42. n. 35. Gail. lib. 2. Obs. 100. n. 9.* Tamen id convitiis laceffito licere videtur ut ad falsò injuriantem dicere possit, Tu mentiris, de quò *vid. Fachin. lib. 9. controuv. jur. cap. 12. ibidemque allegati it. Dn. Carpz. Resp. Elect. l. 2. t. 5. resp. 68. n. 6.* Et rectè, quia injuriam, vel calumniam non facit, qui non habet injuriandi vel calumniandi animum, *l. 5. C. de injur. & l. 3. §. 1. ff. d. tit.* sed potius sui purgandi: Ergò ferendus est, qui pudorem suum purgavit: & simul ignoscendum est ei, qui voluit se ulcisci provocatus *l. quæ omnia 25. §. 1. & l. 14. si libertus. ff. de bon. libert.* Hinc quæritur an propter verba-lem injuriam à verbis ad verbera aut vulnera progredi licet? Negativa verior videtur, *Harpr. in §. hæc actio 12. Inst. de act. de injur. n. 184. & seqv. Nicol. Boer. Decis. 169. n. 1. & seq. Vasq. lib. 1. controvers. 12. n. 129.* Nec probandum quoque vulgatum illud *Auff eine Züger gehöret eine Maulschelle. Conf. Besold. thes. pract. verb. Maulschelle.*

C

THE-



## THESIS XXII.

De Tempore quoq; haud dubitandum erit, illud probè debet re observari, ut sc. retorsio injuriæ confestim & in continenti fiat. Nam sicuti defensio in continenti & cum moderamine inculpatæ tutelæ, ita & retorsio fieri debet; *Jacob. Schultz. in addit. ad Modest. Pistor. quest. 127. n. 39. part. 3. Gail. lib. 2. Obs. 101. n. 5.* Ratio, aliàs enim si ex post facto ac intervallo fieret injuriæ illatæ retorsio, saperet vindictam, *d. l. 45. ff. ad L. Aquil. quæ omni jure est prohibita per text. l. 14. C. de Jud. & ealic.* In continenti etiam injuriam retorquevere is intelligitur, qui injuriã affectus absens vel ignorans, quàm primùm id certò resciverit, vel in absentem scriptò, Retorsionschrift l. in præsentem ore poterit regerere, & in calumniatorem istum iterum retorquevere, *Bocer. Class. 4. Disp. 4. thes. 46.*

## THESIS XXIII.

De rebus  
corporalibus

Tandem ultimò locò post Famiam scilicet & Existimationem Sequuntur Bona, quæ tam corporalia, quàm incorporalia, & Fortunæ nostræ, quæ itidem alter sanguis & vita hominum appellantur *arg. l. advocati 14. & ibi Bartol. C. de advoc. divers. judic. Bald. l. si tuis nummus C. de oper. libert.* Nam sicuti pro tutelâ corporis & vitæ vim atq; injuriam propellere licet, ita & ratione rerum atq; bonorum, post *Jason. Felin. Covarruv. & alios.* Siquidem non tantùm personarum & famæ, sed & propriorum bonorum defensio concessa est, *cap. 2. verb. te tuãq; extr. de homicid. quod verùm non solum in immobilibus, sed etiam in mobilibus, l. 9. ubi DD. ad L. Cornel. de Siccar. d. l. 4. d. l. 52. §. 1. ad L. Aquil.* Verùm notandum, quàmvis bona alter demum & secundarius sanguis hominis perhibeantur, non tamen ideò vitæ aut famæ hominis possunt æquiparari, *uti habet Obr. de necess. defens. c. 8. n. 9. & 10.* ita ut etiam talem defensionem cum internectione eorum inuasoris haberet conjunctã; cum rerum licet pretiosissimarum nulla cum vita hominis etiam noxiï institui possit comparatio. Hinc meritò reicitur illa distinctio inter res viles & pretiosas, ut quidam *ex DD. p. d. l. 52. §. 1. ad L. Aquil.* senserunt. Nam homines sunt creaturæ nobilissimæ, ad imaginem DEI creatæ, & pretiosissimo Christi Sangvine redemptæ at res sunt bona caduca, & respectu hominum vilissima; nec per se, sed hominum gratiã cum parata, *arg. l. in pecudum 28.*

in



*in fin. ff. de Usufr.* Et nemo quoque est, qui non pluris corpus & vitam, quam res & bona sua faciat. Idcirco ab uno ad alterum non rectè inferitur; quia ex diversis nulla firma est illatio, *l. Papinianus 20. in pr. ff. de minor.* Sequitur ergo quod omnia iura, quæ eadem ob defensionem commissam probant, non de rerum, sed corporis defensione loquantur, *d. l. 5. in pr. ff. ad L. Aquil. c. interfecisti 2. extr. de homicid.* Unde & in artic. 139. *Constit. Carol.* constituitur ibi: Welcher eine rechtmässige Nothwehr/zu Rettung seines Leibes und Lebens/thut/der ist darumb niemand nichts schuldig. Nisi exceptò hóc casu, ubi sc. rerum defensio cum vitæ corporis periculo coniuncta est, tunc etiam cum internecione inuasoris minimè denegatur, *d. l. 9. ff. ad L. Cornel. de Siccar.* tunc enim principaliter personæ, non rei gratiâ permittitur. *Harpr. in tr. crim. ad §. item L. Corn. 5. n. 172. seqq. de publ. jud. Fachin. lib. 1. Controv. c. 31. Obr. de necessar. defens. c. 8. n. 16.*

#### THESIS XXIV.

Hinc non immeritò quæritur de Fure an impunè possit occidi? Resp. communiter à DD. distingvi solere, nimirum aut Dominus adveniens constituitur in discrimen vitæ, aut non; priori casu si sc. res cum discrimine vitæ erit coniuncta, impunè omninò occidi poterit, *d. l. 9. ad L. Cornel. de Siccar. Carpzov. Part. Crim. 1. qu. 32. n. 27. vid. Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 1. n. 12. it. l. 7. §. 1. ff. quod met. caus. P. S. D. Carol. V. art. 150. ibi: So iemand einen bey nächlicher weise in seinem Hause findet und erschlägt ic. Harpr. in tract. Crim. ad §. 6. item L. Corn. 5. n. 182. de publ. jud. Obr. de necess. defens. c. 8. n. 12. & seqq.* Quia hoc in casu periculum personæ reddit iustam furis vel alterius raptoris occisionem, non autem periculum rerum, uti ait *Fortun. Garcia ad l. 3. de J. & I. n. 28.* Posteriori autem casu, si sc. nullum vitæ discrimen adsit, sed fur rem alteri subtractam secum auferens, magnâ celeritate fugiat, arcu peti, & sagitta globôve tormentariò transfigi & occidi impunè neutiquam licebit, *p. d. l. 52. §. 1. ff. ad L. Aquil. Obr. d. tr. c. 8. n. 13. & seqq. it. Harpr. ad d. l.* Et propterea verissimum est, ob solam rerum defensionem eadem impunè non fieri: nisi etiam personæ periculum accedat, ut meritò cum *D. Augustino* dicere possimus: Quomodo ap. divinam providentiam à peccato liberi erunt, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humanâ cæde polluti sunt? *lib. 1. de liberó arb. cap. 5.*



THESES XXV.

Porro quæritur de Populatore, qui noctu alterius Lust, Keller, Häuser aut vineas populatur, an etiam impunè à quoquam possit occidi? Resp. quod sic per l. unic. C. qn. unic. lic. se fin. jud. vind. Magnif. Dn. Struv. de vind. priv. c. 3. aph. 4. Siquidem hic perindè ut latrò à quovis ob publicum bonum occidì potest. Farinac. l. 4. pract. crim. tit. 14. qv. 125. n. 204. & seqq. Et Hilliger ad Donell. l. 17. c. 2. lit. O. circa finem dicit: Est hic unus opinor, casus quò ob rerum defensionem cædes licita est, intuitu tamen non tam offensæ privatæ, damniq; illati, quàm quietis publicæ. Unde Tertulian. in Apologet. in reos majestatis & publicos hostes quilibet homo miles est, concord. l. 2. C. qn. lic. unic. De militibus circumforaneis & vagis idem quoq; jus statuitur. Umbiauffende gartende Rnechte Divi Ferdinandi Imp. Recess. Augustan. Anno 55. §. Und damit angeregte Gail. l. 1. de pac. publ. cap. 4. n. 39.

THESES XXVI.

De rebus incorporeis  
s. juribus.

Hactenus dictum fuit, quomodo quis in re corporali sibi jus dicere potest; restat itaq; considerandum, an etiam jus, quod sibi quis potest dicere propria auctoritate, in rebus incorporalibus virtutem suam exserat, adeo ut pro defensione juris, quod quis in aliquâ re habet, jus sibi dicere liceat, illudq; propriâ auctoritate vindicare,

THESES XXVII.

Aperti juris est non solum res nobis per furtum oblatas ipsomet vindicare posse, sed etiam si per violentiam, quæ aliàs dicitur vis quotidiana, possessione dejecti sumus, nobismetipsis jus dicere valere. Hinc rectè possidenti ad defendendam possessionem rei vel juris, quam sine vitio tenebat, illatam vim contra turbatorem violentum propriâ auctoritate defendere ac propulsare licet, & ereptam impunè recuperare, l. 3. ff. de J. & J. Quod tamen fieri debet cum moderamine inculpatæ tutelæ, p. l. 1. C. unde vi ibiq; Gothofr. d. l. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil. Cammer Ger. Ordn. P. 2. tit. 9. So jemand in f. it. Gail. de pac. publ. l. 1. c. 16. Modò autem fiat in continenti, l. 17. ff. de vi & vi arm. l. 3. §. 9. ff. eod. Ratio hæc est, quia si Dominus in continenti rem suam invadit, id animò defendendi facere videtur; ac si invadit ex intervallo, seipsum ulcisci velle intelli-

telligitur, *vid. Bachov. ad Treutl. P. 1. D. 18. th. 7. l. D. adeo ut etiam*  
iudici absq; causæ cognitione præcedenti, eiusq; officialibus rectè  
resistatur, *l. 5. C. de Jur. Fisc. it. Dn. Carpz. l. 1. Resp. 2. n. 10.* Injustus  
qvoq; possessor rectè semper contra inuasorem, si modò rei verus  
Dominus non sit ipse inuasor, rem possessam defendit; Ratio, quia  
in re possessa plus iuris, quàm inuasor habere videtur *p. text. l. 2. ff.*  
*uti possidet.*

#### THESIS XXIIX.

Quod servitutes attinet, quæ sunt res incorporales ac consti-  
stunt in Jure, *p. §. 1. Inst. de reb. corp. & incorp.* illas qvoq; propriâ au-  
thoritate contra impediendam rectè vindicari ac defendi posse, *af-*  
*firmat Bartol. n. 3. l. 1. §. hoc interdictio 2. ff. de itin. actus privato.* Non  
solum autem ius illud, quod habeo defendere licet, & impedire,  
ne quid contra illud fiat; sed & si quid factum, quò meo Juri no-  
ceatur, illud propriò iure tollere possum. Hinc si quis fossam,  
sepem, vel aliud quid ad impediendam possessionem actu vel viæ  
meæ facit, quò liberum aditum ad rem & possessionem meam im-  
pediat, possum, quod ita fatum est, propriâ autoritate demolire,  
frangere, tollere & deicere, quod pluribus legibus & authorita-  
tibus confirmat *Schneidvv. ad rubr. Inst. de Serv. n. 14.* Porro si in a-  
grò meo, in quò mihi competit ius poscendi, quadrupedem damnū  
dantem deprehendo possum illum propriâ autoritate ac iure in-  
cludere, quod quidem de Jure Civ. non licet. *p. l. Qu. Matius 39. §. 1.*  
*ff. ad L. Aquil. Gail. de pignorat. observ. 9. n. 1.* Contraria tamen con-  
suetudo passim invaluit, ut abigere & includere liceat, donec Do-  
mino Pascuorum satis fiat, quod asserit Dn. Adr. Beier in Harmon.  
Struvio-Schnobel. *Disput. 7. thes. 3. pluresq; ibi adducti aut. res,* quò  
B. L. remitto Tutius verò & melius est, si ducat ad iustitiam; per  
hoc enim multa incommoda effugere quis potest, *Coler. Proces. Ex-*  
*ecut. P. 1. cap. 3. n. 11.*

#### THESIS XXIX.

Tandem deniq; etiam quæritur de debitore fugiente & securū  
ferente pecuniam, an si copia Judicis deficiat creditor propria au-  
thoritate, (ratione obligationis, quâ debitor tenetur ipsi solvere)  
illum sistere, & ipsi quod debet impunè auferre possit? Resp. quod  
sic *per l. ait præter 10. §. si debiterem 26. ff. quod in fraud. creditor.*



*Matth. Coler. de process. execut. part. 1. c. 2. n. 97. seqq. Gail. lib. 1. Obs. serv. 48. n. 14. & lib. 2. Obs. 44. n. 1. seqq.* Quod ipsum etiam adeo verum est, ut procedat in casu, quando dies vel conditio solvendæ pecuniæ nondum extitit, ut debitor satisfaciat de solvendo, adveniente termino, vel conditione impleta. *l. quæsitum 14. ff. de pignor. Matth. Coler. in process. execut. P. 1. c. 2. n. 99. Jason in l. si arbitrio 10. ff. qui sari. cogunt. n. 7.* Quid si autem debitor fugitivus resisteret creditori eum capere volenti, quæritur an etiam licitum creditori pervenire ad vulnera, quinimò ad ipsam internecionem? Resp. quod sic *quid. l. 52. §. 1. ff. ad L. Aquil. Gail. lib. 2. Obs. 44. n. 3. & seqq.*

Atque hæc pro modulo ingenii mei de hæc materiâ sufficiant, & ut undè incepti, in eò finiam,

Qui sapere & fari, nobis, bone Christe dedisti  
Sit Tibi in æternum, Gloria, Laus & Honor.

---

## COROLLARIA.

1.  
Si Hospes ad cauponem accessit, & cum equum suum in stabulo deposuisset, illò nemini consignatò, illicò ad sua negotia pertractanda ex hospitio recessit; si verò postmodum ad Hospicium revertitur equum non inveniens, caupo ad recuperandum damnum tenetur.

2.  
Judex sub promissione impunitatis reos decipere, eosq; secutâ confessione, ad mortem damnare non potest.

3.  
Non abs re Baldus in Judice duplicem salem requirit. Scientiæ unum, conscientiæ alterum, eumq; sine illò insipidum, sine hoc verò diabolicum esse pronunciat.

4.  
Tres pestes justitiæ communiter enumerantur: corrupti Judices, litium diuturnitas, & advocatorum inscitia atq; improbitas.



**T**US SIBI DICENDUM defendis pulpita scandens,  
Qvi castrum Themidos pectore & ore colis.  
Perge bonis avibus! Nam sic pergrata sequantur,  
Quæ Themis alma dabit, digna labore Tuo.

P R Æ S E S.

---

Madrigal.

**D**ie Musen gehen schon zerstreut/  
Und sind bemüht den Lorberkrantz zu winden:  
Apollo selbst/der Grösse/ist erfreut/  
Und dencket drauff/HERR REISSENS/ Ihn zu  
ehren.

Er reise fort/  
Er wird Sein Lob verimehren!  
Es ist des Lobes schwangre Ort  
Von JHM recht glücklich fast erstiegen/  
Ich weiß gewiß/Er bleibt nicht liegen.  
Sein Anfang ist recht gut/  
Er thue wie Er thut/  
Gott wird nach Seiner Müh und Schwitzen  
JHM lassen bey den HAUPTERN sitzen.

Mit diesen geringen wolte Seinem Hochwehrtten  
Freunde schuldigster massen auffwarten

Johannes Zöllner/  
J. U. Stud.

Subli-



**S**ublimes cathedram conscendis, Amice, Tibique;  
Materiem laudis, non sine laude paras.  
**U**t Themis hæc vidit conamina, vidit Apollo,  
Certabant, quænam præmia digna darentur  
**P**ræmia promittit Themis, & promittit Apollo,  
Illa novâ famâ, hic frontis honore beat.

Sic Pereximio ac præstantissimo Domino Respondenti,  
Amico suo haud fucato acclamare  
hisce voluit

Balthasar Otto, Mölbüff. Misnic.  
Philos. ac SS. Theol. Stud.

---

**Q**uam benè lustrâris spatiosa Volumina juris  
Hoc specimen cuiusvis testis adesse potest.

Ex fraterno affectu addit

Johann Fridericus Reising.  
p. t. in Elect. Gymnas. ad Muld.  
Alumnus.



99 A 6952

ULB Halle

3


002 826 623



V3 17

Rubio ✓







Xxix.

DISPUTATIO JURIDICA  
De  
JURE SIBI DICUNDO

Quam  
COELESTI FAVORE AUXILIANTE  
EX  
DECRETO ET AUTORITATE  
MAGNIFICI ET NOBILISSIMI ICTORUM  
COLLEGII  
IN ILLUSTRIS PHILUREA  
SUB PRAESIDIO  
VIRI  
NOBILISSIMI, CONSULTISSIMI ATQUE  
EXCELLENTISSIMI  
DN. MICHAELIS FINGERI,  
J. U. D.

Dn. Patroni, Fautoris, Hospitis & Praeceptoris  
sui aetatem devenerandi  
Publice examini  
exhibet

IN COLLEGIO JURIDICO  
HORIS MATUTINIS  
JOHANNES REISINGIUS,

GRIMMA-MISNICUS,  
SERENISS. ELECT. SAXON. ALUMN.  
Ad d. 4. Novembr. ANNO M DC LXIX.

L I P S I A E  
Typis JOHANNIS GEORGI.

